



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCCLI. ad annum CCCCLXXV.

**Parisiis, 1644**

XXIX. Epistola Valentini Episcopi Philippopolis Ad Leonem Imperatorem.  
Per omnia piißimo & Christianissimo imperatori, triumphatori & Augusto  
Leoni, humilis Valentinus in Domino æternam salutem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14887**

EPISTOLA  
VALENTINI EPISCOPI  
PHILIPPOPOLIS  
AD LEONEM IMPERATOREM.

Per omnia piissimo & Christianissimo imperatori, triumphatori  
& Augusto Leoni, humiliis Valentinus in Domino  
æternam salutem.

CVM & ante imperium virtutibus regnauerit Christia-  
nissima vestra tranquillitas, & in imperio supra pur-  
puras & diadema fidei rectitudine decoratur & corona-  
tur. Nam compensationem iustitiae potius quam donum  
a Christo regalia sceptra percipientes, compensationem  
rurus Deo redditis, vestrum imperium conservanti, dum  
incessabiliter cogitatis, quatenus securam ab omni hære-  
tica tempestate ecclesiam eius & sine fluctuatione serueris.  
Quemadmodum gentium bella amantium superbas co-  
gitationes ad terram deponere festinastis, ita & prauos  
sensus hæreticorum aduersus Christum latrantum, velut  
puluerem exufflantes, ad nihilum usque perducetis, & se-  
cundum vocabulum vestrum, inimicis quidem Dei & ve-  
stri imperii, tamquam leo saevus, occurritis: circa eos au-  
tem qui pie Deum colunt, & imperii vestri sceptris obe-  
diunt, ouium pastoris imitatores & ous simpliciores exi-  
stitis. Igitur pro ecclesiastica pace & salute filiorum ecclæ-  
siæ multam prouidentiæ pietas vestra gerens, sacratissimis  
suis syllabis adoransque sanciuit, ut mea paruitas sanctis-  
simos prouincia episcopos in unum colligens, qua humi-  
litati nostræ placerent, & regulis conuenirent, & fidei re-  
ctæ congruerent, indicaremus vestrae Christianitatis im-  
perio: maxime autem de crudelibus malignisque rebus, &  
omnis tragœdia narratione maioribus, qua nuper Ale-  
xandriæ prouenerunt, simul & de Calchedonensi sancto  
magnoque & vniuersali gratia Christi celebrato Conci-  
lio: cuius termini non ex nobis, sed gratia sancti Spiritus  
sunt confixi, nihil metuentes, neque pro gratia vel inimi-  
citii decernentes, sed Dei solummodo iudicium iniudi-  
cabile formidantes, ad notitiam vestrae Christianissimæ

ANNO CHRISTI 451. tranquillitatis referre deberemus. Quapropter & in vnum nosque simul & nostri clerici congregati, habentes timorem Dei præ oculis, sub ea quæ a vestra sunt pietate sancta, suggerimus vestræ tranquillitati, quoniam & vnitatem colimus, & iniquorum communionem abominamur, & sanctorum patrum Concilia complectimur, & ea quæ ab eis sunt definita atque decreta, custodire intransgressibliter exoramus. Timotheū vero qui totius malitiæ culmen excedit, & inhumanitatis crudelitatem transcendit, homicidam, patrisque necatorem, qui episcopo superstite ecclesiam eius adulterauit, & sponsum eius occidit, & tyrrannico modo & impudenter semetipsum in sedem eius imposuit, sicut preces oblatæ tranquillitati vestræ declararunt, non oportere neque inter viuos examinari, palam est: nunquam dignitate pontificatus indui, & in sancto altari stare, & diuinitati ministrare credendus est. Quid etiam dicamus de populo indiscreto, qui ab eo ad impietatem armatus est, & amplius quam eorum fluuius inundauit iniquitatibus, malitiæ turre vltra Pharum, qui apud eos excellenter accenditur, & usque ad calos flamas impietatis extendit? Victoria dicam iudicans hanc esse, ad comparationem aliarum rerum, quæ ab eo sine timore commissa sunt, quietiam vnam naturam negantes, cuncta ferocitate vestiti sunt. De sancto vero & vniuersali Calchedonensi Concilio, cuius princeps non homo, sed Christus, qui est super omnia Deus & rex aeternus, deinde pastores totius orbis extitere doctores, praesentibus eis & sacratissimo vestro senatu, & culmine eminentium potestatum, & diuæ memoriae ter beato principe Marciano, omnibus ob signantibus hanc esse pietatis viam, patrumque fidem impollutam & immutabilem, sanctorumque apostolorum doctrinam in nullo mutatam, neque discordantem exposita fidei a sanctis patribus in Niceno Concilio congregatis: cum utique ea doceat simul & alliget, & aperte ab omni haeretica nos secta discernat. In hac ergo perduramus; hanc tenemus, & ea quæ in ea sunt explana ta, intransgressibliter obseruamus, omnemque haereticam prauitatem abominamur; Deo semper hymnos pacificos exoluentes, qui nobis custodem rectæ fidei verstram potentiam condonauit.

Valentinus episcopus Philippopolitanæ metropolis sanctissimæ ecclesiæ, manu mea subscribens, his quæ sunt supra scripta, consentio.

Epietetus episcopus Diocletianopolis, similiter.  
Et reliqui similiter.

## XXX.

EPISTOLA SEBASTIANI EPISCOPI  
AD LEONEM IMPERATOREM.

*Post Deum domino totius orbis piissimo & Christianissimo nostro principi Leoni, in Domino salutem, humilis & ultimus Sebastianus episcopus.*

**T**VVM quidem, piissime imperator, laudabilem & gloriosissimum inter homines principatum omnium Dominus Christus quotidianis diebus bonis incrementis maximum splendidissimumque demonstrat, & de cetero demonstrabit, hoc semper efficiens propter fidem rectam quæ ab infantia est vobis inserta, & propter reuerentiam quam diuinitati salubriter exhibitis. Quod autem supplicamus, sacratissime imperator, illud est, ne patiamini illius venerabilis & inter sanctos habitatis maximi viri Marcianni tanti talisque principis post mortem opinionē nunc a culicibus lacerari, neque tuum ita præcipuum, & ultra gloriam constitutum imperium contemptibile illudere volentibus ostendatis: sed veritatis experimentum sumant stulti, scientes quia terribile est incidere in manus Dei viui. Hebr. 10. Hoc autem in ordine primo piissime nosse supplicamus, quia sicut Soli ad demonstrandum quia Sol est, nihil minus est; ita illi magno sanctoque & vniuersali Calchedonensi Concilio, bonorum quidem omnino nihil deest: neque enim eget augmento, neque detractione, cum sit a sancto Spiritu velut diuino quodam sale conditum. Nam qui in eo illo tempore condemnati, & indigni pontificali statu esse decreti sunt, sententia hoc magni Dei tamquam impii pertulerunt. Qui vero suscepisti sunt, velut iniustam & tyrannicam circumuentionem paruo tempore sustinentes, repente decreto sancti Spiritus iuste suscepisti sunt: inter quos nostrorum temporum secundus Abel beatus Flavianus existit. Tanti siquidem & talis probatique Concilii am-  
pli